



Specimen literarium inaugurale exhibens de Lucio Valerio Aureliano disquisitionem historicam

<https://hdl.handle.net/1874/256511>


SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

EXHIBENS

DE

LUCIO VALERIO AURELIANO

DISQUISITIONEM HISTORICAM.



SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

EXHIBENS

DE

LUCIO VALERIO AURELIANO

DISQUISITIONEM HISTORICAM

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IACOBI ISAACI DOEDES,

THEOL. DOCT. ET IN FACULTATE THEOL. PROP. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO

pro gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,


EXAMINI ERUDITORUM SUBMITTET

NICOLAUS HENRICUS IUSTUS KOKER,
e pago Broek in Waterland.

Die XIV m. Iunii anni MDCCCLXXIII, hora tertia.



TRAJECTI AD RHENUM,
APUD A. I. SERVAAS VAN ROOVEN.
MDCCCLXXIII.




MATRI CARISSIMAE

NEC NON

PIAE MEMORIAE

PATRIS OPTIMI

SACRUM.



P R A E F A T I O.

Quum iam in eo esset ut materiem quaererem aptam ex qua argumentum dissertationis sumerem, quo specimine Academico rite conscripto et iuste defenso summos in *Philosophia Theoretica et Litteris Humanioribus* honores consequerer, oppido haesitavi. Copia enim ipsa rerum optioni eligendi magnopere obstat. Omnes sciunt rei haud ignari cogitationem vel dies noctesque non intermissam hanc curam non levare, quin imo potius augere. Quam ob rem non multis diebus postquam vestri amplissimi Ordinis consilio venia mihi dabatur speciminis conficiendi, adii Praeceptorem aestimatissimum, quem nunc Promotorem videtis, modeste ex eo petens ut hac in difficultate mihi succurreret et dubitationis finem faceret. Iam autem quum haesitarem, sensim paulatimque vero statutum mihi

habebam investigare vel quaestionem ex Antiquitatibus Romanis ductam vel argumentum ex Historia antiqua sumptum. Comiter me exceptit et promisit se aliquid cogitaturum esse, quod non viribus nimis alienum foret, quas non tantas essc, quantas vellem, probe scio, neque cuius indagatio pro temporis spatio longior esset.

Ad se brevi post me arcessit, communicatque tecum, propositis meis prioribus de alio arguento optimo iure prolixitatis causa refutatis, tres quaestiones, quarum vero quaeque disquisitione diligentissima perdigna erat. Sed prima — sit omen — mihi admodum placuit, cui titulus erat Aurelianus. Nam vitam virorum clarorum perscribere semper habet aliquid, quod iucunditate animum impleat; praeterea mihi etiam magis lubet eorum facta et mores depingere, qui sine dubio omnibus temporibus boni habiti sunt, quam conari eos vel benos reddere vel saltem vindicare, qui semper nomina nostris animis odiosa habuerunt.

Placuit mihi igitur mox vitam enarrare Imperatoris praeclarissimi. Adii fontes et auxilio assiduo Promotoris carissimo, quo frui mihi contigit, prodiit hocce opusculum, quod fore ut fautores Litterarum aequi consulant ex intimo corde spero.

Accipite et legite benevolis animis et si quid vobis offenderit vel minus iuste dictum esse videatur, corrigit, nam errare humanum esse nemini non notum

est. Judicetis igitur hasce primitias cum quadam lenitatem, praesertim si incidatis in ea, quae vobis non satis dilucide et subtiliter explicata esse videantur, condonate mihi neve obliviscamini iuvenilium virium tali labore inassuetarum.

Quum vero huic Academiae, quae mihi semper valde cordi erit, vale dicam, primum vos alloquor, Professores meae Facultatis, Praeceptores carissimi, plurimi faciendi. Ago gratias vobis quam maximas quum protectionibus vestris utilissimis et incundissimis, quibus frui mihi contigit, tum pro benevolentia et humanitate, quibus vestra ex parte usus sum. Gratiam igitur refero vobis huius Ordinis illustrissimi Professoribus Rovers, Brill, Opzoomer, van Herwerden nec te a votis excludo, vir Clarissime de Jong, huius Ordinis socium. Vivatis quam diutissime et semper felices, permultis adhuc duces studiorum, videntes fructus ex iis, quae ipsi sevistis. Quod ad me attinet, meum erit in posterum probare vestris curis me non prorsus indignum fuisse. Floreat, ut per vos augetur, haec Academia in infinitum tempus.

Sed tibi praecipue, Promotor venerabilis, summopere colende Rovers! ago gratias quam maximas, quia me assidue adiuvisti in hoc opere conscribendo; spes nimirum me non sefellit nunquam me tuis consiliis destitutum fore. Persuasum tibi habeas me non esse animo ingratto, contra semper memoriam tui servabo et colam.

*Vos, amici et prioris et posterioris temporis, com-
militones mihi coniunctissimi! vos, inquam, salvere
iubeo. Sive iam, ut ego, in munere vestro sudatis,
sive adhuc Litteris et bonis artibus operam datis,
valete, meique caritate memores sitis, a vobis amicitia
spectata fretus blonde precor.*

Scripsi Elburgii, Mense Maio anni MDCCCLXXIII.

PROLEGOMENA.

Quod Imperator Septimius Severus anno 211 Eboraci filii praecepisse narratur: »locupletate milites, ceteros omnes contemnite,»¹⁾ probat tum patris moribundi perspicientiam, tum gravem temporum calamitatem, quibus milites ad auctoritatis fastigium tendebant. Huc autem illi pervenerunt, necato anno 235 Severo Alexandro, Principe in primis strenuo. Tum aetas illuxit despotismi militaris nullis finibus circumscripti. Proximo 24 annorum spatio decem prodierunt Imperatores, alias alibi lectus, omnes variis casibus impliciti et imperfecti, plerique ad regnandum inepti. Ineptissimus autem fuit, qui anno 259 patrem Valerianum exceptit, P. Licinius

¹⁾ Cass. Dio. LXXVI. 15.

Gallienus. Eo regnante non tantum molesti Imperio fuerunt Germanicae stirpis populi et Goti ¹⁾ in Occidente, in Oriente Persae, sed etiam metus fuit, ne universum illud in plures civitates dissolveretur. Acceserunt dirae, pestes, terrae motus, fames, populationes, variaeque inde ortae turbae. His malis ut fortiter obviam iret, a tardo et luxurioso Gallieno exspectari non potuit, nedum ut hostes undique in Imperii fines irrumpentes coerceret contineret exercitus. Illis autem instantibus et volentibus militibus variarum Provincia rum praefecti ab eo defecerunt in Gallia, in Illyrico solo, ad Euphratem et se Principes proclamarunt. Hos cum triginta Atheniensium tyrannis comparatos eodemque numero citatos esse in vulgus notum est. Parum recte. Nam et pauciores fuerunt, quibus, ut numerus conveniret, additi sunt filii, a pluribus illorum Caesares lecti, nec vero omnes ambitione abrepti consilia moliti sunt perniciosa, sed caverunt potius ne totum corrueret Imperium. Et quod sibi laudi duxerunt, subiectos, gravia mala perppersos, a Gallieni iugo liberare, tempora admodum dubia in hanc eos duxerunt opinionem ²⁾. Quamobrem non miramur Trebellii

¹⁾ De scriptura huius vocis vid, Schleicher, die Deutsche Sprache, 2^{te} Aufl. pag. 92, et Abel Hovelacque, Instructions pour l'étude élément. de la linguistique Indo-Européenne. Paris, pag. 117.

²⁾ Conf. Manso, über die dreysig Tyrannen, quae disputa-

Pollionis de iis verba: »quos omnes datos divinitus
»credo, ne cum illa pestis (Gallienus) inaudita luxuria
»impediretur, possidendi Romanum solum Germanis
»daretur facultas¹⁾.» Gallieni caedem, quae in annum
incidit 268, eo minus fuit quod Romani lugerent, quo
dissimiliorem habuit successorem, M. Aurelium Clau-
diuum. Hic strenue rebus praefuit in primisque Gotis
secundo Marte restitit. Quum autem biennio post Sirmii
peste absuntus erat, apparuit, eum successoris quo-
que commendatione Imperio prospicere conatum esse.
Hic enim fuit L. Valerius Aurelianus, cuius rebus
gestis exponendis paulo diligentiorem operam dare de-
crevimus.

De fontibus si quaeritur, unde huius Imperatoris
vita ducatur, continuo memoramus Vopiscum, cui
suus est in Scriptoribus Historiae Augustae locus,
sive, ut rectius dicitur, in opere: de vitiis diversorum
principum et tyrannorum a divo Hadriano usque ad
Numerianum a diversis compositis²⁾.

Flavius Vopiscus Syracusius, ut aliorum principum
ita anno 305, Iunii Tiberiani amici eiusdemque Prae-
fecti Urbi rogatu, vitam Aureliani composuit. Cuius

tio exstat in eius libro, Leben Constantins des Grossen,
pag. 433. Hoyns, Geschichte der sog. dreissig Tyr. Gött. 1852.
passim et Zeller, les empereurs Romains. Paris 1863. pag. 391

¹⁾ Treb. Poll. XXX Tyr. cap. 5.

²⁾ Peter, Diss. Acad. de script. Hist. Aug. Bonnae 1860.

rei causa quos potissimum adierit scriptores, dubium non est. Citat enim Callicratem Tyrium, Graccorum, ipso iudice, longe doctissimum, Theoclium, Caesariannorum temporum scriptorem, Acholium, magistrum admissionum, Nicomachum, interpretem Zenobiae. Affert etiam monumenta publica, varii generis epistolas, senatusconsulta, ephemerides, ab aliis alibi commentarios vel commentarios principales appellatas, in quibus tum lino scriptis Aurelianus quotidiana sua scribi praeceperat, cumque his, ut videtur, coniuncta »bella charactere historico scripta.“ Denique non negligit ea, quae ore tradebantur. Dolendum autem est, scriptoris in his omnibus explorandis et inter se componendis diligentiam saepius requiri. Hinc, licet Vopiscus veri amore haud careat multumque ceteris praestet Historiae Augustae scriptoribus, omnino operae pretium est aliunde colligere, si quid fide dignum aptumque reperiatur ad illius de Aureliano commentarium supplendum et corrigendum¹⁾. Quapropter alias quoque adibimus, qui de his temporibus egerunt, scriptores. In his primum locum tenet Zosimus, qui sub finem seculi quinti flomissé videtur et munere Κόμητος καὶ ἀποΦισκοσυνηγόρος functus est. Hic in operis, quo continentur res imperii

¹⁾ Vid. Iulius Brunner: Vopiscus Lebensbeschreibungen, in Untersuchungen zur Römischen Kaisergeschichte, herausg. von Max. Büdinger, IIer B. Leipzig 1868, pag. 107.

Romani ad annum 410, libro primo nonnulla tradit a Vopisco omissa vel breviter aut festinanter dicta. Huic addenda sunt tum Dexippi, qui ad Probi principatum (276) vixit, excerpta de bellis scythicis, tum quaedam nobis praebet Aurelius Victor tempore Iuliani, cuius opusculum de Caesaribus laude non caret. De historicis Latinis non negligendi sunt breviariorum historiae Romanae scriptores v. c. Flavius Eutropius a secretis Constantini Magni, compendii historiae Romanae auctor. Non ita multo post vixit Sextus Rufus, cuius breviarium rerum gestarum populi Romani ad nos pervenit. Minoris momenti est Ammianus Marcellinus, incertae aetatis, fortasse exeunte seculo quarto. Praeter eos, quos iam nominavimus Gracos commemorandi sunt, qui Cassium Dionem (229) supplevit ad Constantini tempora, anonymous et posterioris aetatis Constantinopolitanus Zonaras, qui seculo undecimo P. C. vixit.

Ex his autem praeccipue profecerunt recentiores, quorum disputationes suo singulas loco citabimus.

CAPUT I.

AURELIANI ORIGO ET RES GESTAE AD AETATEM, QUA
LECTUS EST IMPERATOR.

Quo loco quove anno natus sit Aurelianus, non constat. Nam plerisque cum Sirmii, nonnullis in Dacia Ripensi, uni scriptori in Moesia natum esse videri tradit Vopiscus, cuius quidem solatum, multo pluris esse res a magnis viris gestas quam locum eorum natalem, etsi levidense est, gaudemus tamen neque loca afferri valde a se invicem remota et ipsum Aurelianum, nemine obloquente, inferiorem Danubii tractum patriam suam habuisse ¹⁾).

De anno natali in veterum silentio certi quid pronunciare non licet. Omissis indicis quibusdam ad aetatem definiendam valde dubiis, veluti ex Zosimo ²⁾). Imperatorem bellum adversus Zenobiam gerentem semicanum fuisse, nihil reliqui est nisi ut aetatis anni, quos ille mortis tempore i. e. anno 275 egerit, nos in

¹⁾ Conf. Vopiscus: 3, 4, 24. Aur. Viet. XXXV. Brunner, I. I.
pag. 44. Bernhardt, Geschichte Roms von Valerian bis zu
Diokletians Tode. Berlin 1867. pag. 144.

²⁾ Lib. I c. 51.

viam ducant. Hi autem fuisse dicuntur unus et sexaginta a Ioanne Malala, scriptore quidem posterioris aevi et nugarum pleno, sed cui quum hac in causa non sit cur diffidas obiiciasve Chronicus Paschalis auctoritatem annos afferentis septuaginta quinque, consequens est, ut Aurelianum anno fere 214 in lucem editum esse putemus¹⁾. Dies autem fuit V. Id. Sept.²⁾.

Familia eum ortum esse obscuriore dubio caret. Pater eius colonus fuit in villa Aurelii, clarissimi Senatoris, unde eum nomen suum duxisse non male suspicatur Brunner. Dignusne pater fuerit, quem uxor in iurgio notaret stultiae et vilitatis, quis definiat? Cohaeret haec narratio cum facultate divinandi, quae huic seminae tribuitur. Etenim, si sudes habenda est Callicrati Tyro, Aureliani mater sacerdos templi Solis fuit in eo vico, in quo habitabant parentes.

Iam constat, Aurelianum per totam vitam eximie coluisse Solem, ei enim templum tum Romae posuit magnificentissimum, tum Palmyrenum a militibus direptum instauravit et quidam eius nummi supersunt, ornati

¹⁾ Mal. Chronogr. XII. p. 301, scr., Byz. ed Bonn. Errorem Chronicus vidit iam Gibbonus, Hist. of the Decl. and Fall of the Rom. Emp. Ed. Dublin. 1789. pag. 328 ann. 6. Nimurum deest ibi breve Taciti, qui Aurelianum exceptit imperium. Hinc in decessorem numerus annorum successoris (75) confertur.

²⁾ Orelli Inscript. Lat. 1. 243.

Solis imagine et his verbis: Sol. Dominus. Imperi. Romani. Sed utrum huius cultus amor ex matris munere praeceptisque pullularit, an contra, radicibus actis, ansam dederit narrationi de Imperatore Sacerdotis filio, difficile dictu est. Haec autem cogitantes, non miramur portentorum mentionem, quae iam infanti tamquam auspicia imperii obtigisse tradidit Gallicrates. Huc pertinent serpens eius plevem cingens, aquila vinctum fasciolae innoxie de cunis levans et in ara ponens, quae iuxta sacellum forte sine ignibus erat, aliaque huius generis plura ex eodem fonte a Vopisco petita¹⁾. De eius sorore, cuius semel mentio fit, nihil novimus²⁾.

In epistola Claudi vocatur Valerius Aurelianus, sed in nummis et inscriptionibus nomen ei est Claudius Lucius Domitius Aurelianus, fortasse postea Imperator nomen hunc in modum mutavit³⁾.

Sed quamquam de prima aetate multa latent, novimus tamen, eum mature ingenio vivacissimum fuisse, viribus clarum, nullum umquam diem praetermississe, quamvis festum, quamvis vacantem, quo non se pilis et sagittis ceterisque armorum exerceret officiis⁴⁾.

Fuit decorus et gratia viriliter speciosus; statura procerior, nervis validissimis, vini et cibi paulo cupi-

¹⁾ Vop. 4. 5.

²⁾ Vop. 36. 39.

³⁾ Vop. 17. Bernhardt, pag. 145.

⁴⁾ Vop. 4.

dior, libidinis rarae, severitatis immensae, disciplinae singularis, gladii exserendi cupidus ¹⁾).

Valido igitur corpore, integris viribus profecto quam citissime castra secutus erit eo exitu, ut brevi tempore armis potens egregius in re militari evaserit. Quo ardore officiis functus sit, hinc cognosci potest, quod ei datum est cognomen: »Aurelianus manu ad ferrum» ut ab alio tribuno Aureliano in exercitu discerneretur. Notum enim est, milites per lasciviam solitos suis cognomenta imponere, ut illi centurioni, cui, ut scribit Tacitus, militaribus facetiis vocabulum »cedo alteram» indiderant ²⁾). Sed iam antequam lectus erat Imperator, multa gessit splendida facta, testimonia etenim virtutis et fortitudinis non desunt.

Tradunt, eum cum trecentis praesidiariis erumpentes Sarmatas solum attrivisse, manu sua bello Sarmatico uno die octo et quadraginta interfecisse, plurimis autem et diversis diebus ultra nongentos quinquaginta ³⁾). Referunt, cum apud Magontiacum tribunum legionis sextae Gallicanae, Francos irruentes, quum vagarentur per totam Galliam, sic afflixisse, ut trecentos ex his captos, septingentis interemtis, sub corona vendiderit ⁴⁾). Quamobrem milites saltatiun-

¹⁾ Vop. 6.

²⁾ Tac. Ann. I, 23.

³⁾ Vop. 6.

⁴⁾ Vop. 7.

culas in Aurelianum componere solebant huius cemodi:

Mille, mille, mille, mille, mille decollavimus.
Unus homo mille, mille, mille, mille decollavimus.
Mille, mille, mille vivat, qui mille, mille occidit.
Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis.
Mille Francos, mille Sarmatas, semel occidimus.
Mille, mille, mille, mille Persas quaerimus¹⁾.

Postquam sensim inferiores militiae gradus percurrit, nonnumquam rerum bellicarum summa ad eum delata est.

Apparet, Imperatorem Valerianum quam luculentissime eum coluisse et plurimi aestimasse eique saepius belli imperium credidisse maximamque ei fidem habuisse.

Eius ad Persas legatio memoratur ipseque multis muneribus a rege Persarum donatus esse traditur, quod certe ante captum Imperatorem obtinuit; quae tamen qua opportunitate facta sit, nescimus²⁾.

Verba ipsius Valeriani nobis servata sunt: »Aurelianum fortissimum virum ad inspicienda et ordinanda castra omnia destinavimus: cui tantum a nobis atque ab omni republica, communi totius exercitus con-

¹⁾ Vop. 6, 7. Conf. tamen Bernhardt, pag. 147, ubi versus secundus optime mutatus legitur: Unus homo mille, mille, mille decollavimus, pariter tertius; Mille, mille, mille, mille vivat, qui mille occidit. Praeterea Oberdick (Zeitschr. für die österr. Gymn. 1863. Xes Heft. p. 738). conjectura versum quintum sanavit, ita mutans: Mille Francos, mille simul Sarmatas occidimus.

²⁾ Vop. 5. Bernhardt. 148.

»fessione, debetur, ut digna illo vix aliqua vel nimis
 »magna sint munera, quid enim in illo non clarum?
 »Quid non Corvinis et Scipionibus conferendum? Ille
 »liberator Illyrici, ille Galliarum restitutor, ille dux
 »magni totius exempli. cet¹).” In alia epistola Prin-
 ceps se excusat, quod Posthumio filium suum Gallie-
 num potius commiserit quam Aureliano²). Metuit
 nimirum notam huius severitatem et sic pergit: »ni-
 »mius est, multus est, gravis est et ad nostra iam non
 »facit tempora. Testor autem omnes Deos, me etiam
 »timuisse, ne quid etiam erga filium severius, si quid
 »ille fecisset, ut est natura pronus ad ludicra; levius,
 »cogitaret Aurelianus.” Apparet tamen Posthumium
 aequa atque Aurelianum animo fuisse severo³). Putat
 Brunner⁴), aliam fuisse severitatem Posthumii, aliam
 Aureliani; illam auctoritatem posse dici, hanc cru-
 delitatem, quam apertam Aureliani notam characteris-
 ticam, ut hic dicit, exprobrat. Eum quamquam se-
 verum non crudelem fuisse animo infra, ubi de mori-
 bus agemus, indicabimus et, si qua ab Aureliano perpe-
 trata nobis ultra modum videantur nosque offendant, non
 oblivious oportet militum licentiae insolentiaeque, quibus
 coercendis ei nonnumquam summa severitate opus erat.

¹) Vop. 9.

²) Vop. 8.

³) Treb. Poll. XXX Tyr. 3.

⁴) I. l. pag. 46.

Sed alia sunt Imperatoris observantiae et amoris erga Aurelianum testimonia. Definit Valerianus ei, quamdiu Romae fuit, varia ad victimum spectantia, quotidianam adeo pecuniae summam ¹⁾). Dignum eum censem, qui vicem Ulpiani Criniti impleret. Suscipendum ei dat bellum a parte Nicopolis. Dicit de eo: »ego de te tantum, Deo favente, spero, quantum de Traiano, si viveret, posset sperare respublica. »Neque enim minor es eo, in cuius locum fidemque te legi. Consulatum cum eodem Ulio Crinito in annum sequentem sperare te convenit sumptu publico. »Levanda est autem paupertas eorum hominum, qui diu recipublicae viventes, pauperes sunt et nullorum magis ²⁾).» Exspectationem Imperatoris non frustratus est, nam vicarius Ulpiani Criniti fuit tali eventu, ut limitem restitueret hostibus profligatis, praedam militibus daret, manubias in palatio collocaret ³⁾.

Ulpianus Crinitus vir fortissimus de genere Traiani eidemque simillimus vicarium suum maximo amore prosecutus est, ita quidem ut, quum Valeriano in thermis apud Byzantium sedenti publice gratias agbat, quod sibi vicarium Aurelianum dedisset, statuerit eum arrogare. Adstantibus praeclarissimis civitatis viris, Valerianus eum allocutus est, gratias ei egit quod

¹⁾ Vop. 9, 13.

²⁾ Vop. 11.

³⁾ Vop. 10.

rempublicam Gotorum potestate liberaverat et, ut iam supra dictum est, varia ei dedit dona, consulēque confestim designavit ¹⁾. Gratias rursus Aurelianus egit consulatumque accepit ²⁾. Tum Ulpius Crinitus surrexit, vir summae dignitatis et auctoritatis, eumque habita oratione arrogavit. Solemnibus factis adoptio actutum est impleta.

Quod ad Tillemonti opinionem attinet, Ulpium Crinitum filiam ei in matrimonium dedisse, nihil certi hac de re affirmari potest ³⁾. Fortasse ideo ille sententiam tuetur, quod nomen uxoris in nummis »Ulpia Severina“ legitur. Firma enim testimonia huius rei non adsunt ipsaque parum probabilis est. Nam si ante adoptionem matrimonium locum habuerit, non opus fuisset ut adoptaretur, et hand scio an post adoptionem matrimonium non licitum sit. Fortasse fuit agnata patris adoptivi vel ipse post adoptionem tamquam optimo iure filius Ulpii Criniti hoc nomen sumsit et uxori attulit. Quamdiu vixit Valerianus, saepius munere belli ducis functus est Aurelianus. Constat, cum »vicarias“ ducum et tribunorum diversis temporibus prope quadraginta habuisse ⁴⁾.

¹⁾ Vop. 13.

²⁾ Vop. 14.

³⁾ De Tillemont, Hist. des Emp. Rom. III. 502. Conf. Bernhardt, pag. 148. Weber, Allg. Weltgesch. IV^{er} B. pag. 482. Gibbon, I. I. Vol. I, 300.

⁴⁾ Vop. 10.

De eius rebus tempore Gallieni, patre indigni filii nihil ad nos pervenit. Certe praeclarissimus in rebus bellicis dux tempus non desidia consumserit, sed tamen valde providus ne inter otiosos et ignavos nimis excelleret, quod profecto ipsi exitio fuisse, operam fortasse navaverit, ut nimirum hostes invadentes a finibus imperii arceret eosque fortitudine sua compesceret.

Apparet eum sub Claudio et iam ante equitibus praefuisse omnibus¹⁾ et omne contra Moeotidas bellum divum Claudium nulli magis quam Aureliano commisisse²⁾. Trebellius Pollio memorat, diversos scytharum populos, qui fortasse hic Moeotides vocantur, praedae cupiditate in Romanum solum irrupisse atque ibi pleraque vastasse dum Claudio ipse aliis occupatus esset rebus³⁾. Exstat epistola Claudii dicentis: »ego aliis rebus occupatus summam belli illius virtutibus tuis credo. Omnes Thracios, omnes Illyricanos totumque limitem in tua potestate constituo, solitam en nobis ede virtutem⁴⁾.» Secundis proeliis usus victor discessit.

Sententiae a Vopisco allatae, Aurelianum sive invitato sive mandante Claudio Aureolum interfecisse, vel eum, ut alii tradiderunt, hoc facinus imperatoria

¹⁾ Vop. 18.

²⁾ Vop. 16.

³⁾ in Claudio. 6.

⁴⁾ Vop. 17.

dignitate ornatum perpetrasse, reiiciendae et spernendae sunt¹⁾. Apparet enim ex Trebellio Polione, Aureolum iam vivo Claudio in acie concidisse²⁾.

Post mortem Claudii, brevi etiam Quintillo huius fratre mortuo, solus tenuit imperium, ad hanc dignitatem a legionibus in Pannonia lectus³⁾.

Sed in Italico solo Quintillus suscepit imperium, non heriditarium sed merito virtutum; qui factus esset Imperator etiamsi frater Claudii Principis non fuisset," addit Trebellius Pollio adulandi causa⁴⁾.

Vopiscus ita disserit: »quia pertinet ad Aurelianum, id quod in historia relatum est, tacere non debui. Nam multi ferunt Quintillum, fratrem Claudii, quem

¹⁾ Vop. 16.

²⁾ XXX Tyr. II.

³⁾ Quod Vopiscus c. 17. tradit, eum consensu omnium legionum factum esse Imperatorem, id a vero alienum esse videtur Brunnero, pag. 50. Addit enim, legiones Italicas postea lectionem comprobasse. Non est tamen negligendum, Quintillum a Senatu dictum esse et ut testimonia docent in eo non acquiesisse vel saltem eo non contentum fuisse excrecum, milites autem eius dictis audientes non erant. Fieri potest ut, fama lectionis castrorum in Pannonia cito pervulgata, maluerint eum esse Principem, sub quo fortasse iam antea stipendia meruissent, cuius audaciam et fortitudinem vel ipsi oculis intuiti essent vel fando cognovissent. Ita legiones subito ei assensas esse omnes non cum verisimilitudine pugnat.

⁴⁾ in Claudio 12. Conf. Zosimus. I. 47.

»in praesidio Italico esset, audita morte Claudii, sum-
»ssisse imperium. Verum postea ubi Aurelianum com-
»perit imperare a toto exercitu derelictum, quumque
»contra eum concionaretur, nec a militibus audiretur,
»incisis sibimet venis die vigesimo imperii sui perisse ¹⁾)."

Trebellius Pollio non dicit, ipsum Quintillum sibi mor-
tem consivisse sed a militibus, quod se gravem et
serium contra eos ostendisset ac verum Principem
polliceretur, eo genere, quo Galba, quo Pertinax pe-
riissent, interemtum esse. Et pergit, Dexippum quidem
Quintillum non dixisse occisum sed tantum mortuum,
nec tamen addidisse morbo, ut dubius haerere videa-
tur ²⁾. Sed Zosimus docet, eum sponte sua Aureliano
cessisse utpote potiori et sibi venas incidisse. Nempe
noluit Trebellius Pollio, fratrem eius, quem summis
celebrat laudibus, videri ex debilitate animi se ipsum
interfecisse sed melius convenire cum virtute eius
ducit, eum a militibus tumultuosis esse occisum.

Zonaras memorat, Aurelianum ab ipso Principe Im-
peratorem nominatum esse ³⁾. Hisce verbis utitur:
»Claudius Sirmii aegrotans cum, primoribus exercitus
»convocatis, de Imperatore cercando dissereret, Aure-
lianum imperio dignum esse dixit. Sunt, qui eum

¹⁾ Vop. 37.

²⁾ In Claudio. 12.

³⁾ Chron. XII, 26.

»Imperatorem salutatum esse dicant. Alii asserunt,
 »Senatum, Claudi morte auditam, Quintiliano fratri eius,
 »ob ipsius desiderium detulisse imperium, qui ut
 »homo simplex et ad res gerendas parum idoneus, cum
 »Aurelianum a militibus salutatum esse audivisset, in-
 »cisa manus vena ex profluvio sanguinis ulti necem
 »sibi consciverit, per septendecim dumtaxat dies, quasi
 »somniato imperio." Occisum esse eum Aquileiae re-
 fert Chronicon urbis ¹⁾.

Colligitur tamen ex iis, quae protuli, eodem tempore,
 per non multos vel dies vel menses, duos simul adfuisse
 Imperatores, quorum alter consensu Senatus Augustus
 appellatus sit, ut etiam Eutropius affirmat ²⁾, alter
 principatum sententia legionum tenuerit, hic adhuc in
 Pannonia, ille in Italia.

Quaestio num spatium principatus Quintilli septen-
 decim dierum an paucorum mensium fuerit parsimonia
 fontium dirimi non potest. Certum est, Impera-
 torem bellis occupatum brevius longiusve tempus in
 Pannonia moratum esse.

Tradidimus eius initia vidimusque eum unum omnium
 maxime rei bellicae scientia florentem. Hostes, ubi-
 cumque eos aggressus est, prostravit copiasque disci-

¹⁾ Vid. Mommsen: über den Chronographen vom J. 354 in
 Abh. der Phil. Hist. Classe der Kön. Sächs. Gesell. der Wis-
 sensch. Ier B. Leipz. 1850. p. 648.

²⁾ IX, 12.

plina militari severa continuit. Iam Imperator factus varia tum Romae exsequenda habuit tum praesertim foris. Explicemus igitur, qua sit fortuna usus in bellis exteris gerendis, quid porro Romae vel fecerit vel stabiliverit, quomodo eum iudicaverint veteres.

CAPUT II.

RES IMPERATORIS BELLICAE.

§ 1. *Expeditiones Germanicae.*

Signa non deerant imperio Romano infesta, in quibus variis hostes, quos communis nomine Germanorum novimus, primum tenent locum. Torrentis instar reperente prodeentes, praecipites irruentes, quoquoversum irrumpentes maximam semper excitabant formmidinem. Hostes acerrimi et difficillimi Romanis visi sunt, tamquam praesentientibus hinc imperii interitum venturum esse. Quamvis haud semel victi, novis viribus redierunt, quin fortiores et usu edocti. Sub Gallieno magnus erat metus, ne urbem ipsam totius orbis terrarum dominatricem invaderent eamque funditus vastarent. Clade sub Claudio accepta, cursum retardarunt sed paulo post iterum se ostenderunt longe lateque timorem animis iniicientes. Quamquam interdum cunctati

sunt et omnino extinti esse credebantur, dies tamen aliquando exorictur, quo ferro et flamma urbem delebunt et imperium evertent.

Aurelianus a legionibus Pannonicis Imperator salutatus non continuo, ut Zosimus tradit¹⁾), Romam venit, rebus bellicis quippe eum alio avocantibus. Quibusnam autem hostibus statim obviam iverit, dubio non prorsus caret. Probabile tamen est, eum Sirmio profectum esse adversus Iuthungos, qui tunc in vicinia Alemanorum degentes superioribus Danubii tractibus molesti erant, unde ultius progreedi tandemque in Italiam superiorem irruere non admodum difficile fuisset. Sed Aureliano eos aggresso impares in fugam se converterunt nec sine gravi iactura in alteram evaserunt fluvii ripam. Mox superstibus e clade visum est pacem petere. Missa est legatio, quae tamen a metus et perturbationis significatione abstinere deberet, ne tributo, quod adhuc solverant Romani, populares deinde privarentur. Sed Aurelianus legatis metum iniicere e re sua iudicans, eos exceptit militibus in pugnae speciem instructis. Celsum ipse suggestum concenderat, purpura indutus. Duces ordinum aderant, omnes equis vecti pone eum, signa erant exercitus, aureae aquilae, imagines Imperatorum; militumque indices aureis litteris insignes. Hac pompa fretus accedere Iuthungos iussit. Spectaculo

¹⁾ I. 48.

commoti diu conticuerunt, tandem verba per interpretem fecerunt plena iactantiae et superbiae. Dixerunt enim, se adhuc viribus valere neque imperitos esse bellorum, propter varios tantum belli casus pacem velle, ita tamen ut pecuniam a Romanis adhuc solutam in posterum expeterent. Aurelianus respondit, eos sermone uti parum aperto, loqui tamquam victores, quamvis superatos. Usus est oratione et verborum severitate, quum et alia obiiceret et impetum se in ipsorum terras facturum esse minaretur, legatos adeo terruit, ut re infecta ad suos redirent¹⁾.

His peractis, Aurelianus in Italiam properasse videatur, ut rebus suis coram Senatu et adversus Quintilum, a militibus Italiae lectum, consuleret. Ibi non opus ei fuit diu commorari. Accepto enim nuncio de legionum Pannonicarum voluntate deque Aureliani rebus gestis et in Italiam adventu, milites a Quintillo defecerunt et Aurelianus suam Senatui facile probavit auctoritatem. Hinc Imperator proficisci adversus Iuthungos decrevit, eos ut in suis ipsorum sedibus debellaret. Sed hoc consilium ne exsequeretur, Goti et Vandali fecerunt, tractibus Pannonicis imminentes. Itaque huc se contulit, missisque exploratoribus iussit incolas annonam, iumenta et quidquid praeterea

¹⁾ Dexippus, in Script. Bijz. Ed. Bonn. Cap. I.

hostibus conducere posset, in oppida convehere, quo maiore ipsi, inopia iam laborantes, fame premerentur. Mox incidit in barbaros flumen transgressos cumque iis in Pannonia ancipiti proelio dimicavit. Nocte interveniente dubia fuit victoria¹⁾. Postridie autem barbari, qui in alteram fluvii ripam redierant, legatis missis de pace egerunt. Ad quam quum militum animis inclinarent; inita ea est, filiis utriusque regis et principum apud barbaros virorum obsidibus datis, hac lege, ut Vandali bis mille equites auxiliariis Romanis darent, reliqui hostes commeatum ab Imperatore nacti incolumes domum redirent. Credibile est, hoc tempore Daciam Traiani, cuius diutius servandae difficultates non latebant, ab Imperatore derelictam, incolasque Romanos inde traductos esse in Moesiam²⁾.

Pace composita, Princeps copias suas in Italiam misit, non diu post, relicto Pannoniae praesidio, secutus est ipse cum satellitibus suis auxiliariis, Vandalis etiam equitibus et obsidibus pueris, maturavitque in Italiam iter propter luthungos, qui una cum Alemanis superiorem huius regionis partem invaserant. Neglexit Imperator a fronte iis occurrere, nam avebat hostes a

¹⁾ Ita Zosimus, cui facilius assentiare quam Dexippo Romanis victoriam tribuenti. Tum enim a Romanis graviores sine dubio devictis positae essent pacis conditiones.

²⁾ Vop. 39. Georg. Syncellus, pag. 385. Ed. Par.

dorso persecui. Noctis tamen silentio adversarii irruerunt improviso, magnaque clades hac incuria ab iis accepta est apud Placentiam ¹⁾). Constat hostes etiam Placentiam occupasse ²⁾ , omniaque circa Mediolanum graviter evastata esse ³⁾ . Quin clades tanta fuit, ut Romanum paene solveretur imperium. In hoc ancipiit tempore decretum est, ut libri Sibyllini inspicerentur, omniaque quae iuberent, fierent. Postea tamen hostes sunt superati. Legimus apud auctorem veterem, Imperatorem in Italia tribus proeliis victorem fuisse, apud Placentiam, iuxta amnem Metaurum ac Fanum Fortunae, postremo in Ticinensis campis ⁴⁾ , sed errat ille, nam apud Placentiam victoriae loco cladem accepit Aurelianus.

§ 2. *Bellum Palmyrenum.*

Praeclarissimum Aureliani facinus, sine dubio bellum est cum Palmyrae regina gestum.

Notum est, hanc urbem haberi veterum Orientalium Thadmor, sitam in oasi desertorum Syriae ⁵⁾ et a Salomone

¹⁾ Vop. 21. Bernhardt. 154.

²⁾ Excerpta post Dionem, 125. in vet. Script. nov. coll. Tom. II. 241.

³⁾ Vop. 18.

⁴⁾ Aur. Viet. Epit. XXXV. 2.

⁵⁾ Palmyra, inquit Plinius Hist. Nat. V, 25, urbs nobilis situ, divitiis soli et aquis amoenis, vasto undique ambitu arenis

credi conditam esse aut firmatam in commodum, ut videtur, mercaturaे, quia ibi viae fuerunt versus Orientem ad Euphratem, versus Septentrionem ad Hamath, versus Meridiem ad Damascum, Palaestinam et Aegyptum. Hic locus celeberrima evasit mercaturaे terrestris statio, quippe qui duorum vel trium dierum itinere ab Euphrate distans et fontibus irriguis caravanas aliceret mercibus Indiae in primis et Arabiae praetiosissimis afferendis lucrum quaerentes. Ex hac mercatorum certis temporibus confluentium multitudine quantae opes redundant, suspicari licet, etiamsi per plura secula altum sit de inclyta urbe apud veteres silentium. Sed memoratur ea Palmyrae nomine tempore Antonii ¹⁾), qui eam diripiendam tradidit, Palmyrenos in finibus Imperii Romani et Parthici dubiae erga Romanos fidei insimulans, sed revera militibus suis opimam praedam comparare cupiens. Illustrissima autem huius civitatis tempora

includit agros, ac velut terris exempta a rerum natura privata sorte, inter duo imperia summa Romanorum Parthorumque, et prima in discordia semper utrinque cura. Conf. Ritter, Erdkunde. Vol. XVII, pag. 1486, 1496. Robert Wood, the Ruins of Palmyra. 1753. Van Cappelle, Disp. de Zenobia. Trai. ad Rh. 1817. Hoyns. in op. I. C. Osiander d. J. in Herzog. Real-Encyclopedie cet. B. 15 in voce.

¹⁾ Appianus, de bell. civ. V, 9. Sed illi calliditate Palmyrenorum decepti, re infecta, reversi sunt.

fuerunt post Traianum sub Antoninis, quando colonia Romana evasisse videtur. Ad hanc aetatem splendidissima illa referuntur monumenta, quorum rudera adhuc supersunt. Tunc Palmyra opibus admodum auctis commercioque magnopere vigente plurimum floruit. Sed aliquanto post tempora secuta sunt adversa, exerto sub annum 227 Regno Neo-Persico, cuius Principes animum in Romanos hostilem prodiderunt, hisque eo maiorem formidinem iniicere coeperunt, quo ineptiores ad illorum impetus cohibendum Imperatores erant. Gallieno regnante, cuius patrem Valerianum Persae ceperant, res Romanorum in Oriente prope desperatae erant, sed opportune Odenathus, unus e nobilissimis Palmyrae civibus et Decurio, iis adversatus restituit in Asia Romanorum res easque strenue tuitus est. Persas enim persecutus est eosque trans Euphratē fugavit. Ob haec praeclara facinora Gallienus eum participato imperio Augustum vocavit eiusque monetam, qua Persas captos traheret, cudi iussit, quod et Senatus et urbs et omnis aetas grataanter accepit¹⁾). Erat igitur tum Imperator in Oriente sui iuris, nemini subiectus²⁾). Non diu tamen huius honoris fructus cepit. Nam brevi post cum filio e priore matrimonio Herode, qui a patre

¹⁾) Treb. Pollio. in Gall. 12. Conf. von Sallet, Die Fürsten von Palmyra unter Gall, Claud, und Aurel. Berlin 1866.

²⁾ Bernhardt. pag. 158.

Imperii socius lectus erat, interfectus est a consobrino Maeonio ob iniuriam illatam ei infesto, qui imperium sumsit, sed non diu post a militibus est interemptus¹⁾.

Reliquit Odenathus viduam Zenobiam, coniurationis in maritum fortasse haud insciam, et, ut Trebellius Pollio refert duos filios ex ipsa procreatos, Herennianum et Timolaum, quorum nomine imperavit²⁾. Perhibet tamen Vopiscus, eam nomine Vaballathi filii, non Timolai et Herenniani, imperium tenuisse quod tenuit³⁾.

Mortuo igitur marito, uxor Augustae nomine vindicavit sibi imperium idque enixe defendit et extendere fines conata est. Non contenta possessione regionum, quas iam habuit, ditionem amplificare vehementer studuit, ita ut regina Palmyrae reapse esset regina totius Orientis, non pendens ex auctoritate Romanorum, sed ut regeret suo ipsius iure, nemini dicto audiens. Fuit et adhuc fama fertur femina, fortitudine animi et acumine ingenii celeberrima, quae etiam formae praestantia se commendabat, mirae audaciae, castitate morum conspicua.

Sed quaeritur, cur Romani ei adeo irati essent ut Senatores Claudio, quum Imperator lectus esset, dice-

¹⁾ Treb. Poll. trig. Tyr. 15, 16, 17.

²⁾ Idem, 30.

³⁾ Vop. 38. Conf. Treb. Poll. trig. Tyr. 27. 28. Vop. 22. Brunner, pag. 56. Bernhardt. 165, et de familia Odenathi, p. 297.

rent: »Claudi Auguste, tu nos a Palmyrenis vindica,
»Claudi Auguste, tu nos a Zenobia vindica¹).

Zenobia cupiditate flagrabat principatus in Oriente, verebantur Romani ne ipsorum in Europa etiam rebus immineret, quum Asiam minorem et Aegyptum quibus inhiabat, in suam potestatem redegisset. Feminam victricem ferre non poterant terrarum domini. Nam, si Palmyra fuisset contenta, defuisset causa cur Romani tam acriter eam odissent, Odenatho enim iura imperii in Oriente ab ipsis erant concessa.

Iure itaque Zenobia sibi resistere videbatur Heracliano duci a Gallieno post mortem Odenathi misso, ut Orientem in Romanorum potestatem redigeret et Zenobia renunciaret regionibus, quas armis ceperat. Attamen eum vicit, eoque significavit nullum inter se et Imperatorem esse vinculum, se in Oriente ad suum arbitrium regnare, Romam in Europa, Palmyram in Asia caput fore diversi imperii²).

Aegyptum inferiorem in suam potestatem redegit, opera Timagenis, cuius insidiis dux Aegyptiorum est interemtus nomine Probati³). Quis fuerit, valde incertum est, nam ab alio dux Probus vocatur, ab alio

¹) Treb. Poll. in Claud. 4.

²) Treb. Poll. in Gall. 13. Treb. Poll. trig. Tyr. 15. Hoyns, pag. 47. von Sallet, 46.

³) Zos. I. 44. Treb. Poll. in Claud. 11. Vop. in Probo. 9. Hoyns, pag. 50. not. 141.

idem fuisse dicitur qui postea Imperator factus est,
quod sine dubio veritati obstat.

Exstant etiam nummi imagine ornati et Aureliani
et Vaballathi, fortasse talem monetam cudi iussit
Zenobia, quia prohibebat Orientem sibi, Occidentem
Romae esse, se iure mariti participem esse Imperii,
quod certe ei non concederet Imperator enixe res af-
flictas restituens ¹⁾.

Claudius bello Gotico occupatus, rogationi Senatus
satisfacere non potuit et brevi post mortuus est. Aureli-
anus autem, rebus cum Germanis vi et pactione com-
positis, iter in Asiam tetendit.

In itinere exercitum per Thracias et Illyricum ducens,
multa gessit praeclara, barbaros vicit, Gotorum ducem
trans Danubium interemit, per Byzantium in Bithyniam
transitum fecit eaque sine labore potitus est, multas
etiam Asiae minoris urbes cepit ²⁾). Civitas Tyanorum
capta est per proditorem Heraclammonem, quem post
occidit, exemplum fortasse secutus Philippi Macedonis ³⁾).
Quomodo votum solverit, quod in urbe obsidenda fecerat,
Vopiscus auctor est ⁴⁾), quod etiam memoratur in excerptis
post Dionem hoc modo ⁵⁾: »Aurelianus in Tyanorum

¹⁾ Van Cappelle, pag. 36.

²⁾ Vop. 22. Zos. I, 50.

³⁾ Demosth. de rebus Cherson. 40.

⁴⁾ Vop. 22, 23.

⁵⁾ in Script. Vet. nov. coll. Vol. II, pag. 242.

»obsidione militibus praedixerat fore ut illuc ingressione canem quidem incolumem sinerent. Mox urbe expugnata edixit militibus, ne occiderent neve diriperent. Illi indignati postulabant ab eo, ut, quod antea promiserat, nunc iis facere concederet. Hic autem, vere, inquit, narratis, me ita dixisse, pergit porro: canis nullus in urbe supersit, sed omnes occidite. Immissis ergo tribunis atque militibus canes occidione delevit, ita ut exercitus ira in risum soluta fuerit. Idem postea, concione vocata, nos, inquit, pro his urbibus librandis proeliamur, quas si praedari maluerimus, fide in posterum apud ipsas carebimus. Quin potius praedam e barbaris petamus, his autem urbibus velut rei nostrae parcamus.''

Ferunt etiam, Apollonium Tyanaeum Neo-Pythagoreorum sectae addictum, qui seculo primo vixit, ipsi apparuisse ¹⁾). Admonuit eum, ut clementem se praeberet erga cives, si vincere vellet ²⁾). Famam, quod Apollonium vidisset, certe divulgavit, ut iram militum de non populanda urbe leniret.

Brevi apud Daphnen certamine Antiochiam, proposita omnibus impunitate, obtinuit ³⁾ , quod tamen proe-

¹⁾ Fabulosa, quae de eo narrantur v. c. eum mortuis vitam reddidisse, sonum animalium interpretari potuisse, memorat Philostratus, in vita Apoll. lib. IV, c. 45.

²⁾ Vop. 24.

³⁾ Vop. 24.

lium post Antiochiae expugnationem factum esse tradit Zosimus¹⁾). Certatum est de summa rerum apud Emesam contra Zenobiam eiusque socium Zabam. Ibi amplissima victoria bi reportata est, in fugam se convertit Zenobia cum socio. Sine dubio igitur ante hoc proelium factum est, quod legitur in excerptis post Dionem²⁾, Aurelianum, missis ad Zenobiam legatis eam hortatum esse, ut se demum dederet, illam vero respondisse, haud se magnopere detrimento adfectam: nam qui ceciderant in proelio, plerosque omnes Romanos fuisse. Hoc tempore eius audacia nondum erat fracta, ei tamen visum est Palmyram contendere. Confestim Imperator eam secutus est, prius autem Emesam ingressus. Ibi opes repartae sunt, quas Zenobia secum auferendi tempus non habuit. Palmyram castris cinxit, obsidionem instituit, oppidani tamen mox penuria alimentorum premebantur, Zenobia ex urbe fugere statuit et Persas adire ut ibi contra Romanos auxilium inveniret. Quam camelorum impositam clam subducunt. Quum iam in eo esset ut Euphratem traiceret, c navi est abrepta et ad Aurelianum ducta.

Civitas Palmyrenorum prorsus sine labore in illius

¹⁾ Zos. I. 51. 52. Monet autem tamen J. Oberdick *Daphnen* esse mutantum in *Imman*. Vid. Zeitschrift für die österr. Gymn. XIVer Jahrg. 10es Heft. 1863. pag. 746 sqq.

²⁾ in op. laud. pag. 243. conf. Vop. 26. 27.

potestatem est redacta , quum ipsi incolae de muris manus porrigerent supplices , ut iis condonaret ¹⁾.

Emesam rediit et poscentibus militibus Zenobiam cum sociis pro tribunali stitit ²⁾. Ipsa triumpho est reservata , multi tamen eius consiliarii occisi sunt , inter quos Longinus , clarus philosophus , quod epistolam ad Aurelianum scriptam valde acrem ei dictasset. Hunc admodum coluerat Zenobia et magistrum linguae Graecae sibi et filiis adhibuerat. Quamobrem non verisimile est , eum et alios a regina delatos fuisse tamquam malorum consiliorum auctores ³⁾. Ille constanter mortem subiit , quin eos verbis sedaverit , qui hanc calamitatem aegre ferebant. »Itaque» , inquit Ruhnkenius , »crudelem eius casum si quis Platonica eloquentia prodidisset , non minis nunc Longini , quam Socratis , morti illacrymaremur ⁴⁾!»

Rebus in Oriente in pristinam formam restitutis , Aurelianus ex Asia victor in Europam revertit. Interea Carpos vicit Imperator , qua re occupato nuntius alatus est Palmyrenas rebellasse , tentantes imperatoriam dignitatem transferre in Marcellinum , praefectum

¹⁾ Zos. I. 50. Vop. 28.

²⁾ Vop. 30.

³⁾ Idem statuit Van Cappelle. pag. 40. contrariam opinionem tuetur Bernhardt , pag. 188.

⁴⁾ Diss. de Longino quae inserta est in opuse. D. Ruhnkenii. Lugd. Bat. 1807 , pag. 336.

Orientis ab Aureliano institutum. Dum ambigunt, quid Marcellinus ficeret, ipse hanc rem Imperatori significantiam curavit¹⁾. Palmyreni interea Sandarionem praefectum urbis cum se centis sagittariis occiderunt et, quum Marcellinus cunctaretur, imperium dederunt Achilleo²⁾ vel, ut Zosimus dicit, Antiocho, cuidam Zenobiae cognato, monente Apsaeo, qui etiam praeteritorum auctor fuerat. Confestim ex Europa revertit Imperator, repente Antiochiae aderat omnibusque ob inopinatum adventum perterritis, copias Palmyram duxit. Urbem evertit quidem, sed non prorsus vastavit, occidit omnis generis incolas, omnis aetatis, mulieribus non percit, infantes, senes interfecit³⁾. Ipse iussa dedit, ut desinerent milites interrimere templumque Solis reficiendum curarent ex opulentissima Zenobiae et Palmyrenorum praeda; Antiochum, seditionis auctorem, ne suppicio quidem dignum arbitratus dimisit⁴⁾.

Iterum in Europam venit. Nondum tamen eo venit, quo animus properabat. Nam quum paulisper in Thracia commoratus erat ad motus, auctoribus sive vicinis

¹⁾ Zos. I, 60.

²⁾ Vop. 31.

³⁾ ibidem.

⁴⁾ Zos. I, 61. Antequam revertit in Europam Alexandrinos, qui sub Firmino etiam seditiones excitaverant, celeriter compescuit. Vid. Zos. I, 61. Vop. 32. De illo infra sermo erit.

barbaris sive seditiosis incolis, exortos comprimendos, mox graviorum rerum causa se in Africam contulit.

§ 3. *Seditio Aegypti oppressa.*

Devicta Palmyra, in ea Aegypti parte, quam Zenobia adversantibus Romanis tenuerat, huius locum occupavit Firmus, reginae eiusque mariti Odenathi amicus. Fuit hic, ut a duobus aequalibus distinguitur eodem nomine insignitis, altero Aegypti duce, altero limitis Africani praefecto et proconsule, natione Syrus, statura ingenti, viribus validis, licet omnibus illis, quae de eius robore et habitu sero a Vopisco narrantur acgre fidem habeas. Mercatura amplissima et chartae confectione maximas collegerat opes, quibus non tantum ad splendidissimam vitae rationem, sed etiam ad Zenobiae in Aegypto auctoritatem in se transferendam uti decrevit.¹⁾

Hoc ei cessurum esse videbatur. Nam, multorum Aegyptiorum animis calamitate Palmyrae perturbatis, mercator audax et praedives facile copias paravit iisque Alexandriam invasit, ubi sedem imperii posuit. Secundis initiis eventus non respondit. Aurelianus enim, de seditione certior factus, continuo Aegyptum adiit, Firmi copias undique collectas et Imperatoris exercitui

¹⁾ Vop. 32. idem in Firmo. 2. Conf. Zos. I. 61. Brunner. pag. 71. van Sallet. 67. Bernhardt. 194.

prorsus impares, profligavit ipsumque Alexandriae, quo fugerat, obsedit, aliquanto post cepit et vita privavit. Neque in hoc rerum novarum auctore puniendo substitut victor, siquidem Bruchium, celeberrimam urbis regionem diuturnumque illud praestantium hominum domicilium cum templis et aedificiis solo aequasse creditur¹⁾.

§ 4. *Motus Gallici.*

Aegyptiacam expeditionem non dubitamus quin res exceperint ab Imperatore in Gallia gestae, quamquam Gibbonus has tum illa tum bello Palmyreno priores fuisse putavit²⁾. Sed neque Eutropii et Eusebii ex versione Hieronymi verba pluris esse quam diserta reliquorum scriptorum veterum testimonia, neque Aureliani edictum, subacto Fimo Romae propositum: »pacato undique gentium toto qua late patet orbe terrarum» hanc sententiam probare recte monuerunt recentiores interpres, iidemque iure addiderunt, consilia Zenobiae Romanorum in Oriente rebus adeo periculosa fuisse, iis ut, sepositis aliis curis nullaque mora interposita, resistendum videretur³⁾.

¹⁾ Fide in primis Ammiani Marcellini, XXII, 16, quamquam ab Eusebio in Chronico Bruchii eversio ad annum 269, quo regnabat Claudius, refertur.

²⁾ Decl. and Fall of the Rom. Emp. pag. 309, not. 50.

³⁾ Bernhardt, 172, 196 in not. 2. Oberdick in op. laud. pag. 736, ann. 3.

Sed videamus de motibus illis Gallicis. Gallia iam ignavi Gallieni tempore ab Imperio Romano defeccerat sumunque praefectum Postumum anno, ut videtur, 260 Imperatorem salutaverat. Hunc fortem Principem deque Gallia bene meritum, sed a Gallieno, capitali inimico, gravibus difficultatibus implicitum tandemque a milibus suis, frustra urbis Moguntiaci direptionem postulantibus occisum intra breve tempus alii exceperant et vero Victorinus, quem Postumus iam Imperii socium agnoverat. Hic Victorinae, seminae ambitionis virilemque Zenobiae animum prudentis, filius, etsi immerito praestantissimis Imperatoribus aequiparatus, rebus tamen ita praefuerat, ut Gallia hoc tempore nihil mali ab exteris passa esse videatur, sed proelivior in voluptatem sibi matrimonii militum et militarium corrumpendis multorum odium contraxerat tandemque inita coniuratione necem paraverat. Qua quum eius filius, paulo ante Caesar nuncupatus, mox implicitus esset, Victorina summa adhuc apud milites auctoritate florens, quin mater »castrorum» cognominata, Tetricum Senatorem et Aquitaniae Praesidem, ipsius autem, ut perhibent, affinem, Augusti titulo ornandum curaverat, huiusque filiolum Caesarem dixerat. Haec legiones, grandi pecuniae summa accepta, probasse traduntur¹⁾.

¹⁾ Treb. Poll. Trig. Tyr. V et XXIII Aur. Viet. de Caes. XXXIII. 14.

Sed Aurelianus aegerrime tulit, Galliam a Tetrico obtineri. Itaque adversus hunc, pacato Aegypto profectus est, parum dubitans de secundo rerum eventu. Nam Tetricus, muneri strenue gerendo impar, quam primum mortua Victorina, fulcro suo destitutus erat, militum suorum impudentiam et procacitatem compensare non potuit. Quod moleste ferens et metuens neres suo cum detrimento ad seditionem spectaret, Galliae Imperatori tradendae consilium init. Hac de re clam omnibus Imperatori literas dedit, quarum haec nobis servata sunt ex Vergilii Aeneide verba; *peripe me his, invicte, malis*¹⁾. Itaque Aurelianus bono animo ex Aegypto in Galliam venit, ubi ineunte anno 274 prope Catalaunum facillimam de Tetrico reportavit victoriam, siquidem minus pugna, quam pugnae species fuit, omnibus sic dispositis, ut copiae quam primum traderentur Imperatori, ad quem Tetricus mox ipse se contulit²⁾.

Pauca exstant testimonia de reliquis Imperatoris in Gallia facinoribus. Memorantur tantum Lugdunenses iudicasse, se graviter ab Aureliano contusos esse³⁾. Tradunt etiam, ipsum veterem urbem Ginabum, a Iulio

¹⁾ Lib. VI, 365.

²⁾ Vop. 34. Aur. Vict. de Caes. XXXV. Eutropius IX. 13 Zos. I. 61. Hoyns. op. laud. pag. 30. not. 83. Bernhardt. 199.

³⁾ Vop. in vita Proculi, 13.

Caesare vastatam, instaurandam curasse et a se *Aurelianum* dixisse, alii memorant eum Divionem firmasse ¹⁾).

Nec tamen praetereundum est nonnullos perhibuisse haud sine quadam juris specie Aurelianum, brevi ante mortem in Galliam res novas molientem iterum profectum esse atque eo tempore id egisse ²⁾).

Dehinc Tetrico in deditio[n]em accepto, Galliae *auto-roquiā* sublata et imperium Romanum, oppressis, quas Gallieni imperitia pepererat, variarum regionum seditionibus, in integrum restitutum erat. Res utique digna, quam Aurelianus, cuius virtute praeclara quaeque peracta erant, triumpho celebraret. Et hunc quidem ille, Romam redux, egit splendidissimum. Tres erant currus maximi pretii, unus Odenathi pretiosissimis ornamentiis conspicuus, alter dono datus Aureliano a rege Persarumi, unde appareat res cum eo compositas fuisse, tertius ipsius Zenobiae, quo fore speraverat ut urbem Romanam videret, si aliquando cum collega occidentis Romam conveniret. Quartus etiam currus aderat cervis vectus a rege Gotorum captus, quo Aurelianus Capitolium adiisse dicitur ³⁾.

Aderant porro elephanti, ferae, tigrides, aliae bes-

¹⁾ Tillemont. Hist. des Emp. Rom. III, 526.

²⁾ Vop. 35. Zon. XII, 27. Bernhardt. 203.

³⁾ Secundum Zonaram l. l., quadrigis elephantorum vehabantur.

tiae, gladiatorum paria octingenta, barbari captivi, legati variarum gentium cum suis quisque muneribus ex occidente et oriente, Palmyreni qui superfuerant, Agyptii ob seditionem, quin mulieres, quas virili habitu pugnantes inter Gotos ceperat. Tituli prolati sunt, gentium nomina continentes. Sed longe omnibus antecellebat praesentia Tetrici et Zenobiae. Ille habitu Gallico, haec ornata quidem gemmis, catenis vero aureis, quas alii sustentabant, incedebat. Longa series militum, senatorum, populi sequebatur. Diebus sequentibus variis ludi dati sunt ¹⁾.

Ex his summus triumphi splendor facile colligitur nec per multos annos, ignavis imperantibus Principibus vel civitate Romana discordia dilacerata, tale quid urbs viderat; omnes enim regiones, quae ante a re publica defecerant, tunc in eius potestatem erant redactae, ut optimo iure Aurelianus in Inscriptione quadam vocaretur: »Restitutor orbis« ²⁾.

Quod Zenobiae in triumphi descriptione mentionem fecimus, hoc adversatur quidem illis, qui eam, teste Zosimo, ³⁾ ante vel morbo correptam esse vel inedia decessisse perhibuerunt. Sed consentiens est reliquo-

¹⁾ Vop. 33 et 34.

²⁾ Orell. Inser. Lat. 1030.

³⁾ I, 59.

rum scriptorum sententia, Zenobiam Romam traductam Imperatoris triumphum decorasse. Quaenam autem postea eius fortuna fuerit, vario modo a scriptoribus traditur, ita tamen ut hanc satis laetam fuisse ex omnibus appareat¹).

Dictis hoc addere iuvat. Mirum est, Tetricum de Aureliano optime meritum in triumphum ductum esse. Hoc ipsi veteres vehementer reprehenderunt. Constat quidem ei eiusque filio mox varios datos esse honores, relicita ordinis Senatorii iura, splendidam in monte Coelio domum datam, quin patri obtigisse Lucaniae praefecturam²); sed haec omnia adeo non explicant triumphi sequendi necessitatem, ut potius cum ea pugnent. Ex recentiorum hac de re coniecturis illa non displicet, quae Tetricum coram omnibus prodire debuisse censem tamquam subiectum hostem,

¹⁾ Vop. 28, 34. Treb. Poll. Trig. Tyr. XXIX addit ore traditum esse, eam in agro Romano cum liberis vixisse. Conf. Eutrop. IX, 13 et Sextus Rufus XXIV. Zonaras varias affert sententias, XII. 27. Syncellus pag. 385, Ed. Par. scripto mandavit, Imperatorem eam Romam quidem adduxisse, maxima tamen clementia in eam usum esse. Conf. Brunner pag. 72 et 110.

²⁾ Treb. Poll. Trig. Tyr. XXIII et XXIV. Vop. 34. Aur. Viet. Epit. XXXV. 7. Eutr. 1. 1. Aur. Viet. de Caes. XXXV. 5. Vop. 39. — Trebellius parum recte eum correctorem totius Italiae nominat.

ne Galli in suspicionem ducerentur libertatis nequam
virtute Imperatoris, sed proditione amissae, et
hinc pro superbia rerumque novarum studio serius
ocius iterum negotia Imperio Romano facesserent¹⁾.

CAPUT III.

RES IMPERATORIS ROMAE GESTAE.

§ 1. *Oppressio turbarum.*

Romae non potuerunt non variae oriri seditiones. Nam Imperator acerrimis identidem bellis occupatus non multum in urbe degere potuit. Hanc absentiam quid mirum si qui in commodum suum convertere cuperent? Sed in eo intentis ut ex rerum perturbatione ipsi crescerent, evenit id, quod saepe turbarum auctoribus evenisse novimus, ut spem falleret eventus.

Quum, inito ab Aureliano munere, Germani denuo invasionem in Italiam fecissent et imperium fere labare videretur, orta est Romae seditio. Bello cum iis composito, plenus irarum Aurelianus urbem petiit, aucto-

¹⁾ Bernhardt pag. 200,

res seditionis interemit eamque compescuit. Senatores etiam nonnulli, quippe participes huius factionis habiti, morte multati sunt, de quibus infra dicendi locus erit¹⁾. Sed iam ad aliam pergitimus eamque graviorem seditionem, cuius tamen tempus, propter narrationum quae ad nos pervenerunt paucitatem definire non possumus.

Fuit bellum monetariorum Romae²⁾ Felicissimo rationali auctore exortum, quod acerrime compressit Imperator. Aurelianus, qui hac de re epistolam misit ad patrem adoptivum Ulpium Crinitum vocat eum ultimum servorum, cui prourationem fisci mandaverat³⁾. Tumultum gravem fuisse efficitur inde, quod, ut reprimeretur, septem millia militum perierunt. Sed mirum est, Vopiscum non tradidisse rerum novarum causam. Supplet eum Aurelius Victor, dicens opifices monetae, quia cum Felicissimo nummariam notam corrosissent, poenae metu bellum fecisse, adeo ut per Coelium montem congressi, septem fere millia bellatorum confecerint⁴⁾. Sed quid significet »nummariam notam corrodere« iam antea quaesitum est.

¹⁾ Vop. 21. Zos. I, 49.

²⁾ Brunner, pag. 76, Malalam affert statuentem hoc Antiochiae accidisse, quod falsum esse nemo non intelligit.

³⁾ Vop. 38.

⁴⁾ Aur. Viet. de Caes. XXXV, 6. Epit. XXXV, 4.

Nihil aliud est quam adulterare pecuniam, ita ut vel qualitas minuatur vel quantitas, quod Eutropius vocat vitiare pecunias ¹⁾). Prima significatio hic apta esse videtur ²⁾). Suidas Eutropium Graece reddens de machinatoribus sceleris sic loquitur: *οἱ ἐπὶ Ανοησίαν διέφευγαν τὸ νόμισμα* ³⁾). Quod autem haec Eutropii verba dicit Felicissimo rationali imperfecto⁴⁾ eo modo Graece expressit ac si opifices ipsi monetae ducem interfecissent, non recte se habet. Potius ex his vocibus efficitur concitatores seditionis tam pertinaces fuisse ut, quamvis eorum dux iam esset occisus, se tradere et res componere noluerint. Plurimi nobiles etiam capite damnati sunt ⁵⁾). Fama ruit, Imperatorem novam monetam publice distribuisse, quum plebem quidquid haberet adulterinae monetae tradere iussisset, commercio hoc modo ab omni confusione vindicato ⁶⁾).

Foris etiam seditio fuit minoris tamen momenti, nam apud Dalmatos Septiminus Imperator lectus est, mox tamen a suis obruncatus esse traditur ⁷⁾).

Tres porro memorantur, qui in suspicionem rerum

¹⁾ IX, 14.

²⁾ Conf. Bernhardt pag. 210. ann. I.

³⁾ In voce *Mouvittáqos*.

⁴⁾ Eutr. l. 1.

⁵⁾ Zos. I, 61.

⁶⁾ Aur. Vict. Epit. XXXV, 4.

novarum venerunt, Epitimius, Urbanus et Domitianus, statim tamen deprehensi sunt et temeritatis poenas dederunt ¹).

Novimus etiam Aurelianum aliquando seditione militari petitum esse, nam ipsius verba ad nos perlata sunt. Dixit enim falli milites, qui regum fata in sua potestate se habere putarent. Quippe Deum purpurae datorem esse affirmabat, quam utique dextera praeten-debat: ab coque regni annos sibi esse definitos. Neque prius ab agendo destitit, quam in quinquaginta seditionis principes animadvertisit ²).

Postremo domesticas quasdam seditiones nobiscum communicat vitae scriptor ³).

Haec habui, quae de rebus novis dicerem, quas seditiosi nonnulli illo regnante moliti sunt, easdem omnes refrenavit rerum bellicarum peritissimus Imperator.

§ 2. *Inimicitiae cum Senatu.*

Claudio mortuo, frater eius Quintillus delatum sibi suscepit imperium. Itaque Senatores hac in re vel acqueverunt vel saltem ei non restiterunt; Quintillo autem mortuo illi non potuerunt non legionum lectio-

¹) Zos. I, 49.

²) In excerptis post Dionem, op. cit. 127.

³) Vop. 50,

nem approbare insigniaque imperii itidem Aureliano tradere. Licet sperari posset in Senatu adulatores absuisse ¹⁾, vinculum tamen non ita fuit arctum, ut iure contuleres magnam semper inter utrosque existisse concordiam. Imperator enim a legionibus lectus sine dubio displicuit Senatui, qui hoc legendi honore solum senatorium ordinem dignum esse iudicaverit. Testimonium adest, eum patres conscriptos vituperasse, quia tamdiu de libris Sibyllinis aperiendis, quod ultimum in rebus trepidis erat perfugium, dubitassent, perinde ac si in Christianorum ecclesia, non in templo deorum tractarent ²⁾. Illi enim abhorruissent profecto a tali superstitione, recusassent omnem hac de re disputationem in suis ecclesiis.

Seditionis inde ortae nonnullos Senatores nobiles fuisse participes et ultimo suppicio affectos supra memoravimus. Exprobrat vitae scriptor ei, quem maximam partem laudibus extollit, nonnullos eorum interfertos esse, quibus leve quid et quod contemni a mitiore Principe oportuisset, vel unus vel levius vel vilis testis obieccrit. Nonnulli etiam dicebant, eum bonum quidem esse medicum, sed mala ratione currantem ³⁾, non tamen oblivisci nos oportet, medicos

¹⁾ Vop. 19.

²⁾ Vop. 20.

³⁾ Vop. 21.

faciles putida reddere vulnera. Non mirum est, Patres eum propter severitatem in rebus novis refrenandis timuisse ¹⁾, illorumque auctoritatem apud fortē Imperatorem non multum valuisse, ipsius contra voluntatem palmam tulisse. Quamobrem populus Romanus eum »paedagogum Senatorum« cognominare solebat ²⁾.

Aegre etiam ferebant Senatores, quod de Tetrico Senatorii ordinis viro triumphum egisset ³⁾. Acriter Senatum carpsisse fertur, quod ipsi ob victoriam de Carpis reportatam cognomen dedisset Carpici. Quoniam enim cognomen ei deforme videbatur, quippe similitudinem habens cum quodam calceamenti genere hunc honorem recusavit ⁴⁾.

Memorantur versus T. Calpurnii, qui Imperatori Caro a secretis fuit tristem Senatorum sub Aureliano conditionem indicantes. In maius tamen res superioris Principis auxit, nempe ut suum dominum maioribus laudibus celebraret.

Nulla catenati ferale pompa Senatus
Carniflēum lassabit opus; nec carcere pleno
Infelix raros numerabit curia Patres ⁵⁾.

¹⁾ Vop. 21, 50.

²⁾ Vop. 37.

³⁾ Vop. 34.

⁴⁾ Vop. 30.

⁵⁾ Calp. ecl. I, 60.

De sententia Imperatoris Iuliani et Ammiani Marcellini; qui eum avaritiae causa in Senatores saevisse ferunt, eo loco monebimus quo de eius moribus agemus. Hic attulisse sufficiat ipsum Patribus dixisse, arcam publicam praeter exspectationem refertam esse¹⁾, illumque eam rationem, qua in amicos usus est, certe ipsum non sprevisse, ut nempe divitiarum invidiam rei familiaris moderatione vitarent²⁾.

§ 3. *Urbis muniendae et ornandae cura.*

Ne hostes, quemadmodum sub Gallieno undique irruentes perniciem civitati minarentur urbemque ipsam invaderent, Aurelianus muros Romae dilatavit³⁾. Zosimus hoc sic tradit, ut dicat urbem tunc moenibus cinctam esse, προτερον ἀπέχουσαν οὐσαν⁴⁾. Parum recte. Nam olim murus aderat a Servio Tullio aedificatus, sed huius decursu temporis rudera tantum supererant. Primus autem post Servium Aurelianus, quem, urbe in immensum aucta, aedificia tam publica quam privata longe ultra Serviana moenia processissent, novos amplissimo ambitu muros exstruxit⁵⁾.

¹⁾ Vop. 20.

²⁾ Vop. 45.

³⁾ Vop. 21.

⁴⁾ I., 49.

⁵⁾ G. A. Becker, de Romae vet. muris atque portis. Diss. Lips. 1842. pag. 9.

Nullum est evidentius Romanae potentiae signum, nulla aptior fracti imperii declaratio, quam octavo demum post Sérvium sacculo exacto nova ad tuendam urbem moenia parasse Aurelianum. Tanta fuit, victa Carthagine, Romae securitas, tantus domitarum gentium contemtus, tam certa armorum fiducia, ut nec resicere muros antiquos operae pretium quisquam esse putaret et amplissima luxuriantis magnificentiae opera immunita paterent¹⁾). Coeptum autem ab hoc Imperatore perfecit Probus. Tradit Vopiscus, Aurelianum muros Romae sic ampliasse ut quinquaginta prope millia eius ambitus teneret²⁾), qui quum modum prorsus excedat, probanda est coniectura, ex qua inserto vocabulo »pedum“ legitur, quinquaginta prope pedum millia³⁾). Partem regionis trans Tiberim muro inclusit et, ut verisimile est quatuordecim portas exstruxit.

Pomoerii tamen fines non eo tempore sed postea protulit⁴⁾). Salmasius ad hunc locum putat, Imperatorem pomoerio non addidisse neque addere ei licuisse, quia rem Romanam non parte aliqua agri barbarici auxisset, contra totam adeo provinciam Daciam missam

¹⁾ L. l. 107.

²⁾ Vop. 39.

³⁾ Piale aliquie citati a Beckero, Handb. d. Röm. Alth. Vol. I, 188. Brunner, 76.

⁴⁾ Vop. 21.

fecisset¹⁾). Sed nonne creditile est, Principem, qui in barbarico solo magnas victorias reportavit, in Oriente, in Gallia, in Aegypto, nonnullas regiones imperio subegisse, quae antea libertate fruerentur, quamvis hoc non diserte a Vopisco geographiam haud satis curante memoratum sit²⁾). Ex verbis Vopisci potius eum hoc non statim fecisse sed postea, colligi fortasse potest ei hoc tempore non licuisse iure pomoerii proferendi uti, sed postea demum quum parte aliqua barbaricae regionis locupletavisset regnum Romanum.

Aurelianus, uti supra animadvertisimus, Solem magnopere coluit eique Romae templum aedificare decrevit splendidissimum³⁾). Quum Palmyreni in ditionem venerant, magnam inde cepit praedam, quae maximam partem in templum Solis ab illo exstructum allata est, uti vestes consertac gemmis, Persici dracones, tiarae, genus purpurac, quod postea neque ulla gens attulit, nec Romanus orbis vidit⁴⁾). Constat imagines Ulpii Criniti et ipsius Aureliani in illo templo pictas fuisse⁵⁾.

¹⁾ Script. Hist. Aug. Ed. Lugd. Bat. 1671, pag. 468.

²⁾ Brunner, pag. 20.

³⁾ Vop. 35, 39.

⁴⁾ Vop. 28. Zos. I, 61. Templum etiam Solis Palmyrae a militibus direptum reficiendum curavit e thesauris, quos ibi invenerat. Vop. 31.

⁵⁾ Vop. 10.

Tacitus post Imperatoris mortem hoc afferit testimonium magnificentiae et splendoris: »quindecim millia librarum auri ex eius liberalitate unum tenet templum, omnia in urbe fana eius micant donis¹⁾. Miliarensem, a milenio scilicet columnis, denique porticum in hortis Sallustii ornavit, in qua equo vehi solebat quotidie, quamvis non frueretur bona valetudine²⁾.

Thermae etiam in Transtiberina regione Aurelianus facere paravit hiemales, quod aquae frigidioris copia ibi deesset, quas fortasse tamen non absolvit³⁾.

Forum nominis sui in Hostiensi ad mare fundare coepit. In quo postea praetorium publicum constitutum est⁴⁾.

Alibi nobis allatum est, eum genium populi Romani aureum in rostris posuisse⁵⁾.

§ 4. *Congiaria.*

De eius liberalitate multa apud Vopiscum exstant testimonia sparsim obvia. Per multis nempe bellis im-

¹⁾ Vop. 41.

²⁾ Vop. 49.

³⁾ Vop. 45.

⁴⁾ Id. I. l.

⁵⁾ Mommsen, über d. chron. vom J. 354 in Abh. der Phil. Hist. classe der Kön. Säch. Ges. d. Wiss. Ier B., Leipz. 1850. pag. 648.

peditus quominus Romae vitam degeret quietam, et timens ne, quum abesset, plebs res novas moliretur eam, ut ad manum haberet, multis muneribus donavit, quod etiam praeberet gratum spectaculum, nam, ut ipse dicit, nec quicquam potest esse laetius populo Romano saturo ¹⁾.

Constat, eum tempore, quo ad bellum orientale profectus est, bilibres coronas populo promissoe, quas populus aureas explicabat, bello autem confecto eum coronas de pane factas singulis quibusque donasse, addita promissione eas, quas unusquisque accepisset, etiam ad posteros transmissurum esse. Auctor igitur fuit, ut hereditario iure populus tesseris frumentariis frueretur ²⁾. Gloriatur, nihil sibi magnificentius esse, quam quod addita uncia panibus omne annonarum urbicularum genus iuvisset, idque ut esset perpetuum iussa dedisse ³⁾.

Fraeterea Aurelianus carnem porcinam populo Romano distribuit, quae Vopisci adhuc temporibus dividebatur ⁴⁾. Quin praebitor tunc occurrit huius carnis, cui nimirum eius distribuendae provincia erat mandata ⁵⁾.

¹⁾ Vop. 47.

²⁾ Mommsen op. laud. not. 99.

³⁾ Vop. 47.

⁴⁾ Vop. 35, 47.

⁵⁾ Zos. II. 6.

Porro oleum et sal gratuito populo dari ¹⁾ iussit. Statuerat etiam vinum dono dare, sed, ne id faceret, dissuasit Praefectus praetorio, reliquum esse monens, ut vino gallinae et anseres adderentur. Apparet, eum in porticibus templi Solis fiscalia vina posuisse, ea tamen lege, ut id non gratis sed parvo pretio populo paeberetur.

Ter dedit congiaria, secundum alium semel quingentorum denariorum ²⁾, porro donavit populum tunicis albis manicatis ex diversis provinciis, quin orariis, quibus ille uteretur ad favorem in ludis indicandum ³⁾. Militibus, qui ornamenti maxima laetitia semper affici solent, primus dedit vestes aurea instita insignitas et vario numero lororum ornatas ⁴⁾. Tabulas publicas ad privatorum securitatem exuri in foro Traiani semel iussit, ut eos levaret, qui magnam pecuniae vim arcae publicae debebant ⁵⁾.

§ 5. *Vita domestica.*

De hac vita quae nobis innotuerunt, pauciora sunt quam ut huius Principis accuratissime cognoscendi cupidis satisfaciant. Ac primum quidem Aurelianum uxorem

¹⁾ Vop. 47. Chronographus op. cit.

²⁾ Chron. op. cit.

³⁾ Vop. 47 48.

⁴⁾ Vop. 46.

⁵⁾ Vop. 39.

duxisse haud semel a Vopisco memoratur, idemque eum in vivendi ratione simplicem fuisse passim testatur; nam quum uxor ab eo peteret, ut unico pallio blatteo serico uteretur, respondit: »absit ut auro fila pensentur«, nam pretium librae auri tunc idem erat ac librae serici¹⁾). Etiam ei annulum sigillarium, velut privatae, instituit²⁾). Filiam tantum reliquit, cuius posteri tempore Vopisci adhuc Romae supererant. Nam Aurelianus proconsul Ciliciae, qui munere perfunctus vitam in Sicilia egit, eius erat nepos³⁾). Praeterea traditur eum sororem habuisse, vel germanam vel, quod verisimilius est, uxor. Nam ut severitas Principis vituperaretur, scripsit biographus eum filiam sororis occidisse, non in magna neque satis idonea causa⁴⁾). Deinde addit, filium sororis, non filiam ab eo esse imperfectum⁵⁾ plerosque tamen perhibuisse et filiam et filium ab eo peremptos esse. Suidas autem tradit, uxorem filii insontem ab eo imperfectam esse⁶⁾). Res adeo dubia est ut nihil certi affirmare possis. Fortasse iure morte sunt multati, utpote seditionis

¹⁾ Vop. 45.

²⁾ Vop. 50.

³⁾ Vop. 42.

⁴⁾ Vop. 36.

⁵⁾ Vop. 39. Aur. Vict. Epit. I. I.

⁶⁾ In voce *Aurelianu*s. Cf. Bernhardt, 206.

consciī quae eo imperante Romae facta est. Fuit autem severus et ferro exscidit, quae essent curanda, quamquam exempla lenitatis in victos non desunt.

Constat eum saepius vulneratum esse ¹⁾, neque semper bona usum esse valetudine ²⁾. Medicum quum aegrotabat, nunquam arcessivit sed se ipse inedia praecipue curabat ³⁾.

Quamvis in servos et ministros severus, adeo ut peccantes coram se caedi iuberet ⁴⁾, liberalis tamen et benignus in servos Antistium et Gillonem, qui post illius mortem ex Senatus sententia manumissi sunt. Eum delectatum esse maxime vino rubro, mimis et phagone, raro spectaculis ludorum interfuisse, traditum est ⁵⁾.

Primus apud Romanos diadema capiti imposuit, gemmisque et aurata omni veste, quod adhuc fere ignotum Romanis moribus videbatur, usus est. Sed sine dubio hoc fecit post iter in Asiam ⁶⁾.

Exstant etiam nummi inscriptione: »deo et domino

¹⁾ Vop. 5, 14, 26.

²⁾ Vop. 49.

³⁾ Vop. 49.

⁴⁾ Vop. 49.

⁵⁾ Vop. 50.

⁶⁾ Aur. Vict. Epit. l. l.

nato Aureliano Augusto”, capite radiato¹). Hoc superbiam spirat, sed non negligenda sunt verba Taciti Senatoris, Saracenos aliosque populos orientales eum veluti praesentem paene veneratos esse deum²). Fortasse nummos ita eudi iussit, ut iis populi illi uterentur, qui suos principes tamquam deos venerari solebant, sed etiam Aurelianus compertum habuit, se post mortem inter divos relatumiri, quid igitur obstitit, quominus iam vivus hoc honore frueretur?

Non male tamen id ei placuisse coniicitur ut divino nomine insignitus legiones a petulantia absterreret et inviolabilis haberetur³).

S 6. *Obitus.*

Imperator, triumpho splendidissimo acto, non diu Romae mansit. In castris vivere, hostes profligare sibi per omne vitae tempus summum habuit propositum. Acerrimis civitatis hostibus devictis, alia bella meditatus est, in his Persicum propter auxilia a Persarum rege Zenobiae missa⁴). In Vindeliciam tetendit, ab incolis iugum barbaricae servitutis amovit. Deinde

¹⁾ Eckel, Doctr. num. VII. 482.

²⁾ Vop. 41.

³⁾ Bernhardt l.l. pag. 213.

⁴⁾ Vop. 28, 35, 41.

in Illyricum rediit, idque in Romanorum potestatem redegit, redditae etiam sunt Romanis legibus Thraciae.

In Persas autem quum iter pararet, apud Caenophrurium ¹⁾, stationem inter Heracleam et Byzantium, est occisus.

Hoc scelus alius perpetravit, alias eius auctor multique consciī fuerunt. Quod ad auctorem attinet, a Zosimo et Zonara appellatur Eros, τῶν ἔξωθεν φερομένων ἀποιούσιων μηνυτίς τεταγμένος, a Vopisco Mnestheus notarius secretorum. Quo munere honorifico ornatus quum manum Imperatoris accurate explorare potuerit, Vopiscum sequi placet ²⁾.

Offensam, nescio quam, metuens, manum Principis imitatus, indicem nominum conscripsit. Ut callide, quod sibi proposuerat, efficeret, non solum nomina eorum, quibus Aurelianus ob hoc illudve delictum revera iratus erat, inscrisit, sed etiam de quibus nihil asperum cogitabat, addito etiam suo nomine ut index eo maiore verisimilitudine se commendaret et quam plurimos homo nequam haberet conscos, indignatio etiam et metus rem celerarent. Hunc indicem legit singulis eorum, quorum nomina continebat, addidit mortem iis immi-

¹⁾ Minus accurate locus a Zosimo I, 62 describitur: apud Perinthum, quae mutato nomine iam Heraclea dicitur.

²⁾ Secundum Eutropium servus erat. Zon. XII. 27. Conf. Vop. in Tacito. 2.

nere, eos excitat, ut, si salvi esse velint, iussa Imperatoris praevertant eumque ipsum interficiant. Timentes ne accideret, quod iis impendere videbatur et calliditate eius decepti omnes subito in Aurelianum irruunt, qui manu Mucaporis interemptus est ¹⁾.

Sed restat quaestio, quamdiu Aurelianus habendas imperii tenuerit. Vopiscus dicit: imperavit annis sex, minus paucis diebus ²⁾, Aurelius Victor ³⁾: imperavit annis quinque, mensibus sex. Zonarus refert eum sex annis imperio potitum esse, paucis mensibus demptis, Eutropius narrat: imperavit annis quinque, mensibus sex, ita Orosius; Chronicum urbis tradit: imperavit annis quinque, quattuor mensibus, viginti diebus. Fortasse dies brevis Quintilli imperii et menses interregni post eius mortem ad illius regnum sunt adnumerati ab alio, quod alias omisit, unde discrimin.

Non assentiar ei ⁴⁾, qui computat eum per quatuor annos et novem menses purpura vestitum fuisse; nam omnes disertis verbis memorant eum plus quam quinque annos regnasse.

¹⁾ De Mucapore Vid. Vop. 26, Aur. Viet, de Caes. XXXVI de ceteris necis auctoribus, Vop. 37. Vop. in Tacito, 13 et in Probo, 13. Zos. I. 65.

²⁾ Vop. 37.

³⁾ Epit. XXXV.

⁴⁾ Brunner, pag. 75.

Sic periit unius perfidia Imperator, qui speciem optimi belli ducis referebat et quasi futura praesagiens patri olim scripserat, omnia, quaecunque gesserat, molestias sibi augere ¹⁾.

CAPUT IV.

JUDICIUM DE AURELIANO.

Rebus ab Aureliano gestis expositis merito quaeritur, quid de illo sit statuendum, quo iure bonis Romanorum Imperatoribus adnumerandus esse videatur.

Vopiscus, qui inter vitae fontes primas tenet partes, verba assert Iunii Tiberiani, qui Principem, ut notum est, sibi consanguineum duxit. Vocat eum »praclarissimum Principem, severissimum Imperatorem, per quem totus Romano nomini orbis est restitutus« ^{2).} Illum, ut Orosius vocat, excellentissimum in re militari fuisse, haud semel testatur biographus. Fuit etiam in castris severitatis immensa, disciplinae singularis, gladii exserendi cupidus ^{3).}

) Vop. 38.

²⁾ Vop. 1.

³⁾ Vop. 6. Conf. 7. 49.

Quid autem in bello utilius quam severa disciplina, ut militantes ducis dicto prorsus sint audientes, neque ullo modo eius iussis resistant ei, quamvis non semper militum cum voluntate conveniat, hi tamen id efficere omnibus viribus conentur, quod ille präceperit, cui summum belli consilium creditum sit; aliter discordia oritur, qua vel maxima res dilabuntur vitaque ducis cito reapse periclitatur. Oportet igitur belli ducem, si vivere vult, milites arcere et continere, praesertim quod ex colluvione hominum exercitus sunt compositi, quibus humanitas raro inest. Disciplina et severitate omnis salus nititur. Quamobrem milites refrenare, quod luculenter in Aureliano apparuit, non vitio ducendum, sed potius in virtutes est referendum.

Novimus tum Valerianum tum Claudium laudibus eum extulisse et saepe summam belli ei credidisse¹⁾. Ulpius Crinitus integritate morum conspicuus eum adoptavit, quod certe non fecisset, si hoc honore indignus fuisse²⁾.

Ipse Aurelianus testatur, se ideo cuncta fecisse, ut ipsi gratias ageret res publica et conscientia³⁾.

Eum credulæ superstitionis fuisse, negari non potest, quod ei tamen est condonandum quippe doctrina

¹⁾ Vop. 9, 17.

²⁾ Vop. 10.

³⁾ Vop. 14.

haud excuto. Et vero vitam in castris degit. Sed inter crepitum armorum Musae silent.

Ferro contra resistentes usus est, qui eius dictis audiētes erant pro meritis honoravit ¹⁾.

Iulianus apostata de illo sic iudicat: »ad hos (sc. ad Inferos) etiam accurrit Aurelianus tamquam festinato cursu se ab eorum conspectu proripiens, qui illi negotium facessebant apud Minoa. Etenim multis exagitabatur criminacionibus multarum caedium iniuste perpetrarum nomine, quibus quasdam improbas defensiones praetexens, reus erat convictus. Sol vero, dominus meus et in reliquis opem ferre solitus nihil quoque illi adiumento hac in re fuit, palam inter Deos praedicans, ipsum poenas dependisse et oraculum Delphis redditum evenisse: Iudicium, si quis, quae fecit, perferat, acquum est” ²⁾.

Sed redcamus ad vitae scriptorem. Leniter egit erga incolas victos, abhorruit a proditore, humanior et clementior se praestitit ³⁾. Eum in optimos Principes refert ⁴⁾; Diocletianus Imperator dicere solebat: »Aurelianum magis ducem esse debuisse, quam Principem” ⁵⁾.

¹⁾ Vop. 45. Conf. Zon. XII. 27. Dexippus. in op. laud.

²⁾ In Caesaribus, pag. 313. Ed. Spanheim. Conf. Amm. Marcellinus XXX, 8. et XXXI, 5.

³⁾ Vop. 23 et 25. Conf. 37, 39, 41.

⁴⁾ Vop. 42. ⁵⁾ Vop. 44.

Habuit tempus, praeter seditiones quasdam domesticas, fortunatissimum. Populus autem Romanus eum amavit ¹⁾). Hisce omnibus perspectis, eum a Vopisco admodum laudari negari nequit.

Severum eum dictum fuisse, recte, ut opinor, tradiderunt, non tamen eum animo crudeli usum esse. Magnum est inter severitatem et crudelitatem discrimen, illa in virtutes referri potest, haec semper vitio ducitur sed tanta de multorum opinione est similitudo ut saepc permutentur. Multas certe spinas evellere debuit, ut homo novus non in re lauta versans propria virtute suae ipsius fortunae esset auctor et ad fastigium honoris perveniret, unde gravior animo factus sit. Semper in enitendo ad maiora perseverarit, nunquam oculus a proposito deflexerit. Fuit et miles, cui inter lascivam et petulantem iuventutem persuasum erat severitate tantum eam posse compesci, quod et postea secutus erit, quum iam habenas imperii teneret. Non constitisset nisi virium intentione, quam ob rem severitas interduin non abs re fuerit, quia, ut homines deterretur vel a malis perpetrandis vel a rebus novis moliendis, exemplis ei opus erat. Non praeter eundum est, eum successisse, breviore Claudi spatio omisso, post tempora ignavi Gallieni, quibus dissolu-

¹⁾ Vop. 50. Conf. Eutr IX, 13. 14. Suidas, in voce. Aur. Viet. de Caes. XXXV, 12. Epit. XXXV.


torum erant milites morum, quorum ille evasit corrector¹⁾.

Ex his omnibus colligere licet, Aurelianum virum esse dicendum res strenue agentem, orbem restituenter, animi severi, puritate morum conspicuum idque temporibus luxuriosissimis. Laude profecto quam maxima dignus est, quia gessit, quod tempora postulabant. Inter omnes conveniet eum pensum rite accurasse, enixe id egisse, quod sibi conficiendum in animo proposuerat, quo circa posteritas eum plurimi ducendum esse non negabit.

¹⁾ Conf. Schlosser. Wereldgesch. IV, 262. Weber, Allg. Weltgesch. IV, 482. Bernhardt pag. 205 et passim.

I N D E X.

	Pag.
Prelegomena	1
CAPUT I. AURELIANI ORIGO ET RES GESTAE AD AETATEM, QUA LECTUS EST IMPERATOR	6
CAPUT II. RES IMPERATORIS BELLICAE.	
§ 1. Expeditiones Germanicae	18
§ 2. Bellum Palmyrenum	22
§ 3. Seditio Aegypti oppressa	32
§ 4. Motus Galici	33
CAPUT III. RES IMPERATORIS ROMAE GESTAE.	
§ 1. Oppressio turbarum	39
§ 2. Inimicitiae cum Senatu	42
§ 3. Urbis muniendae et ornandae cura	45
§ 4. Congiaria	48
§ 5. Vita domestica	50
§ 6. Obitus	53
CAPUT IV. IUDICUM DE AURELIANO	56



THESES.

I.

In fragmento Eupolideo apud Stobaeum IV, 33 ubi legitur :

'Αλλ' ἀκούετ', ὁ θεατὴν πολλὰ καὶ ἔννιετε
ἔηματ', εὐθὺς γάρ πρὸς ὑμᾶς πρῶτον ἀπολογήσομαι,
ὅτι μαθόντες τοὺς ἔργους μὲν λέγετε ποιητὰς σοφούς.
ην δέ τις τῶν ἐνθαδὸν αὐτοῦ, μηδὲ ἐν χεῖρον φρονῶ,
ἐπιτιθῆται τῇ ποιησει, πάντι δοκεῖ κακῶς φρονεῖν,
μαίνεται τε καὶ παραρρέει τῶν φρενῶν τῷ σῷ λόγῳ,
ἀλλ' ἐμοὶ πείθεσθε πάντως μεταβαλόντες τοὺς τρόπους,
μή φθονεῖθ' ὅτ' ἂν τις ὑμῶν μουσικὴν καίσῃ νέεν.

muta ultimum versum sic :

μή φθονεῖθ' ὅτ' ἂν τις ὑμῶν μουσικὴν καίσῃ νέεν.

II.

In Nubibus Aristophanis versus 1061 :

ἐπεὶ οὐ διὸ τὸ σωφρονεῖν τῷ πώποτ' εἶδες ἥδη
ἀγαθὸν τι γενόμενον, φράσον, καὶ μὲν ἐλεγχον εἰπών,
corrige ultimum verbum in εὑρῶν.

III.

In Philoctete Sophoclis versus 1242 :

τί φῆς; τίς ἔσται μὲν οὐπικωλύσων τάδε;
corrige sic: οὐπικωλύσων.

IV.

Eodem loco versus 926 :

ΦΙ. καὶ ταῦτ' ἀληθῆ δοᾶν νοεῖς; ΝΕ. πολλὴ πρατεῖ
ταύτων ἀνάγυη καὶ οὐ μὴ θυμοῦ πλεων.
lege: καὶ ταῦτ' ἀληθῶς eqs.

V.

Verba Liviana lib. XXX, c, 3 »sitellaque lata est,
»ut sortirentur tribus, ubi Latini suffragium ferrent”,
non sollicitanda esse videntur.

VI.

In Juvenalis Satyra V^a versu 76 legitur :

»Scilicet hoc fuerat, propter quod saepe relicta

»coninge per montem adversum gelidasque cucurri
»Esquiliis" cet, corrigē cucurri in *cucurrit*.

VII.

In Taciti Germania cap. 8. »Memoriae prōditur quas-dam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum et monstrata comminus captivitate, quam large impatientius seminarum suarum nomine timent, adeo ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoquē nobiles imperantur" muta nobiles in *nubiles*.

VIII.

Zenobia in Aureliani triumphum ducta est.

IX.

Uxor Aureliani non fuit filia Ulpia Criniti.

X.

Plebeii non iidem fuerunt, qui clientes vocantur.

XI.

Senatores pedarii iuniores fuerunt, qui prae modestia tacere solebant.

XII.

Non efficitur e Taciti Germania eum unquam ibi fuisse.

XIII.

Immerito Horatius Plautinos sales vituperat.

XIV.

Magnum erat propositum Gregorii Septimi.

XV.

Res novae Gallicae seculo decimo octavo quam maxime profuerunt toti humano generi.

XVI.

Vox *Utrecht* non cohaeret cum *Traiecto*.

XVII.

Immerito Schleicher, die Deutsche Sprache, pag. 227, putat in dictionibus Haarlemmer bloembol vel Koburger bier talibusque voces Haarlemmer et Koburger esse Genitivos pluralis numeri.

XVIII.

Scientia linguarum non pertinet ad scientias naturales.

XIX.

Immerito Heyse in lexico in voce »Brautigom“ coniunxit gom cum γάμος.

XX.

Dramati consensu temporis et loci non opus est.

XXI.

Conventus, qui Vindobonae fuit, peccavit Neerlandiam cum Belgia coniungens.

XXII.

Recte Wilhelm Scherer in Preuss. Jahrb. Vol. XXIX, div. 1, 1872; »Ja die sprachliche Verwantschaft zwischen Plattdeutsch und Holländisch hat in den Köpfen annexionslustiger Statistiker schon die merkwürdigsten Verwirrungen angerichtet und unseren ehrenwerthen Nachbarn scheinbare Belege für die Chauvinistische Neigungen an die Hand gegeben, die sie uns so gründlos Zutrauen.“

XXIII.

Syllogismus nihil novi nos docet.

XXIV.

Dualismus reiiciendus est.

XXV.

Iudicia synthetica a priori singi non possunt.

XXVI

Merito Dühring, Krit, Gesch. der Phil, pag. 82 dicit de Socrate: »der gegen eine ihm untergeschobene Naturphilosophirerei gerichtete Spott in den Wolken hatte gar keine Grundlage und griff in den verkehrtesten Weise fehl, da grade Socrates sich anstatt mit der Natur mit dem Leben und den Sitten der Menschen beschäftigte.“

XXVII.

Recte contendit, qui statuit modestiam, qua nulla amabilior virtus est, miris modis auctam esse prae antiquis doctrina Christianorum.

XXVIII.

Vacatio examinis, quo aditus Academiae patet, minime est probanda.